

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 24, circa 4, quaestio 1. (fol. 30vb)

Utrum sit peccatum in sensualitate?

Primo quaeritur, utrum sit peccatum in sensualitate? Et videtur quod non, quia opposita nata sunt fieri circa idem. Sed iustitia est solum in voluntate, ergo et peccatum.

Item, Augustinus, *De libero arbitrio*, omne peccatum habet esse in voluntate, ergo non in sensitiva.

Contra, resistere spirituali proposito est peccatum. Sed sensualitas facit hoc, ergo etc. Probatio minoris, Apostolis,² video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, ergo etc.

Respondeo, dicendum, quod quidam dicunt, quod peccatum potest dupliciter considerari, quia prout est culpa, et sic est ubi habet esse suum oppositum, scilicet gratia, hoc est in voluntate. Si autem consideretur prout est vitium, scilicet prout dicit inordinationem potentiae respectu actus sibi debiti secundum suam naturalem institutionem, talis est in sensualitate.

Sed haec distinctio non placet aliis, quia cum accidens recipiat veritatem a subiecto, tale peccatum est unum accidens, quod non potest esse in diversis subiectis, licet sit variatur per diversam considerationem.

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 24, c. 4, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Rom. 7:23

Item, ibi est peccatum, ubi est deordinatio, quia aliter non esset peccatum in aliquo actu nisi esset deordinatum, immo actus de se est bonus. Ergo ex quo deordinatio est in sensualitate, ergo et peccatum.

Et ideo dicunt alii aliter, quia sensualitas habet dupliciter considerari, vel in se³ [vel prout]⁴ a sua ratione potest regi et persuaderi. Primo modo est nobis communis cum pecoribus, et sic non potest esse in ea peccatum. Secundo modo potest esse, quia sicut ratio naturaliter debet esse

<31ra>
subiecta Deo actu et habitu, sic sensualitas debet esse subiecta rationi actu et habitu. Et ideo quando eius oppositum habet, est in ea peccatum. Sed quia habitualiter habet ab alio, non imputatur ei propter baptismum. Sed quando actualiter movetur, imputatur ei, quia non est ut esse debet regulata.

[Item, Ad Romanos,⁵ dicit Apostolus, uideo aliam legem in membris meis, etc.]⁶

Ad

primum argumentum, dicendum, quod opposita sunt nata fieri circa idem, verum est. Et sic est hic, quia liget iustitia et gratia sint solum in voluntate per suam entitatem, sunt tamen per suum effectum in sensualitate. Unde Anselmus, *De conceptu virginali*, dicit, quod dupliciter dicitur aliquid esse iustum, scilicet primo et per se, ut proprius actus voluntatis, aut secundo et per accidens, sicut actus aliarum potentiarum in quibus habet esse actus voluntatis coniunctus.

Ad secundum, dicendum, quod peccatum est in sola voluntate, vel faciente, vel permittente, vel imperante.

³ Scripsit sed del. *et*

⁴ Add. in marg.

⁵ Rom. 7:23

⁶ Add. in marg.